

Dissertatio inauguralis medica de congestionum natura, causis et effectibus ... / [Karl Friedrich Fromhold].

Contributors

Fromhold, Karl Friedrich.
Büchner, Andreas Elias, 1701-1769.
Universität Halle-Wittenberg.

Publication/Creation

Halae Magdeburgicae : Typis Joannis Christiani Hendelii, [1749]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/w8vk34xw>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
DE
CONGESTIONVM
NATVRA, CAVSIS ET EFFECTIBVS,

QVAM
SVB AVSPICIIS SVMMI NVMINIS
ET
CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
PRAESIDE
VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO
DOMINO

D. ANDREA ELIA BÜCHNERO

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,
POTENTISSIMO PRVSSIAE REGI A CONSILIIS INTIMIS,
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO
IMPERIALIS ACADEM. NATVR. CVRIOSOR. PRAESIDE
ET COMITE PALAT. CAESAREO,

PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
DOCTORALIBVS LEGITIME IMPETRANDIS,

D. II. DECEMBR. A. S. R. c1819.

PVBlice DEFENDET
AVCTOR

CAROLVS FRIDERICVS FROMHOLD,
ROCHLICENSIS MISNICVS.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.

ILLVSTRISSIMO ET GRATIOSISSIMO

D O M I N O

CAROLO HEINRICO

COMITI AC DOMINO A SCHOENBVRG,

COMITI AC DOMINO COMITATVVM GLAV-

CHAE, WALDENBVRGII, HARTEN-

STEINII ET LICHTENSTEINII;

NEC NON

ILLVSTRISSIMO ET GRATIOSISSIMO

DOMINO

ALBERTO HEINRICO

COMITI AC DOMINO A SCHOENBURG,

COMITI AC DOMINO COMITATVVM GLAV-

CHAE, WALDENBURGII, HARTEN-

STEINII ET LICHTENSTEINII,

FRATRIBVS GERMANIS,

DOMINIS MEIS GRATIOSISSIMIS,

CVM

HVMILLIMA ET DEVOTISSIMA ANIMI

SVBIECTIONE

D. D. D.

A V C T O R.



um primo, **ILLVSTRISSIMI**
COMITES AC DOMINI
GRATIOSISSIMI, in pueri-

*tia olim mea adspectu VESTRO dulcissimo oculos
pascere mihi licuerit, nescio profecto, quinam
amoris in VOS me penes exarserint igniculi,
quique devotissimae admirationis cultus me er-
ga VOS ceperit subiectissimum. Tantum etiam
abest, ut aestus affectus tenerrimi ex eo tem-
pore factus fuerit remissior, ut aetatis potius
meae iudicandique potentiae accessione maius*

*indies acquisiverit incrementum. Quoties
enim cunque ILLVSTRISSIMI PARENTIS
GRATIOSISSIMAEQVE GENITRICIS, apud
coelites iam beatissime versantium, praeclaras
virtutes, inter hasque principem fere in omnes
clementiam, patrem meum, a multis retro an-
nis ILLVSTRISSIMAE DOMVS Medicum, prae-
dicantem audiui, toties pabulo veneratio inter
viscera semel concepta innutrita est praesen-
tissimo. VOS namque, ILLVSTRISSI-
MI COMITES AC DOMINI GRA-
TIOSISSIMI, videbimini mihi virtutum
paternarum aemula propago: VOS inquam,
robur stirpis optimae indolis atque naturae
surculi, a summo Numine in ornamentum ali-
quando DOMVS SCHOENBURGICAE, iuxta
ac in clientum subditorumque solatium, destina-
ti & coelitus concessi. Neque spem me fefellisse
abun-*

abunde sum convictus, cum insignem hancce
naturae bonitatem indefessa cultura, & domi-
nam in iuventute, & postmodum in Academiis,
ita excolueritis, ut admiratores habeatis in-
numeros, atque VOBIS solis quasi prodeun-
tibus applaudentes VESTRAMQUE gratiam
certatim implorantes. Quis quaeso ergo mi-
hi vitio verterit, si & ego, VESTRAS & natu-
rae dotes admiratus, & virtute acquisitam
animorum optimorum humanitatem veneratus,
eam, qua VOS colo, ILLVSTRISSIMI
COMITES, animi pietatem qualicunque hoc
specimine declarem? Permittite quaeso levibus
hisce pagellis, quae Nomini VESTRO dicatae
sunt, aliquem ad VOS aditum: Pietas in
VOS mea me saltem fecit audacem. Quod
superest, D. O. M. fulcra VOS ILLVSTRIS-
SIMAE DOMVS SCHOENBVRGICAE, ob res
olim

olim praeclare gestas aeternis annalibus dignissimae, ad seram usque aetatem salvos servet atque incolumes. *VOBIS* enim optime valentibus, & subditorum *VESTRORVM* & spes mea salusque nihil, confido, experietur offendi-
culi. *Valete!* id quod vovet,

*ILLVSTRISSIMI ET GRATIO-
SISSIMI COMITES,*

*Vester subiectissimus devotissimusque
servus,*

CAROLVS FRIDERICVS FROMHOLD.



DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA

DE

CONGESTIONVM

NATVRA, CAVSIS ET EFFECTIBVS.

PROOEMIUM.



Inter causas, quae praeternaturales in corpore humano produciunt effectus, non infimum obtinere locum congestiones, veritas est, quam nemo, nisi medicinae plane ignarus, in dubium vocare potest. Quam frequenter enim in corpore humano morbofo non contingunt congestiones? & quot quantique morbi, & quam graves & periculosi effectus non ab iis proficiscuntur? Dolores, spasmo-

spasmodicae partium solidarum constrictiones, humorum stagnationes vasorumque obstructiones, inflammationes, tumores, fluidorum extravasationes, haemorrhagiae & innumera alia pathemata, frequentius ex iisdem originem ducunt. Verum enim vero, quo manifestiora haec sunt & certiora omnia, eo magis omnino mirandum est, Medicos haecenus adeo parum circa indagandam veram congestionum indolem ac naturam, denotandosque & exponendos earum effectus & causas, sollicitos & occupatos fuisse. Si enim argumenti cuiuspiam explanatio multis iisque crassis circumfusa est tenebris & circumsepta difficultatibus, certe haec est de congestionibus doctrina. In quot enim & quam diversas non abeunt Medici sententias circa solas tantum congestionum causas? & quot non harum sibi fingunt easque pro veris ac certis venditant, quae tamen nullibi, nisi in eorum cerebro, pro talibus agnoscuntur? longe plura ut de genesi congestionum & earundem effectibus eruendis silentio praeteream. Haec igitur omnia mecum considerans, cepi propositum, cum mihi aliquod ingenii specimen publicum iam sit exhibendum, in argumento hoc de congestionibus paulo exactius exponendo qualescunque meas periclitandi vires, eiusque eximiam, tam in theoria, quam praxi, utilitatem, pro temporis & spatii ratione, simul ostendendi. Faxit ergo supremum Numen, ut conatus hi in eius gloriam aliorumque salutem feliciter cedant.



§. I.



Si quod fluidum corporis humani ver- *Definitio*
sus quandam eius partem solidam *congestionis.*
praeternaturaliter aucto fertur im-
petu, *congestio* ad eandem partem
fieri dicitur, & ipse hic *fluidi impe-*
tus versus hanc partem praeternatu-
raliter auctus, appellatur *congestio.*

§. II.

Fluida, quae naturali maiorem in quandam *Species con-*
corporis humani partem solidam exercere possunt *gestionis.*
impetum, sunt vel *sanguis*, vel *serum*, vel *lymphæ*.
Nunc impetus fluidi cuiusdam versus partem quan-
dam corporis humani solidam praeternaturaliter
auctus, dicitur *congestio* (§. I.). Qua de re *conge-*
stio est vel *sanguinea*, vel *serosa*, vel *lymphatica*.

§. III.

Impetus, quo corpus movetur, *triplici* tantum *In congestio-*
modo augeri potest, nimirum *augmento* vel *massae*, ne fluidum
vel *celeritatis* eiusdem, vel *utriusque simul*; id quod *maiori vel*
ex massa, vel

*celeritate, vel
maiori mas-
sa & celeri-
tate simul,
versus par-
tem quan-
dam move-
tur.*

ex principiis patet physicis. Verum congestio ni-
hil aliud est, quam fluidi cuiusdam praeternaturali-
ter auctus versus partem quandam solidam impe-
tus (§. I.): Quam ob rem, si congestio fieri debet,
fluidum maiori vel massa, vel celeritate tantum,
vel maiori massa & celeritate simul, quam in statu
naturali, versus partem quandam corporis humani
solidam ut feratur, necesse est.

§. IV.

*Si fluidum
maiori cele-
ritate vel
massa fertur
ad partem
quandam,
fit ad illam
congestio.*

Cum fluidum, si congestio fit, maiori vel massa,
vel celeritate seorsim, vel maiori massa & celeritate
coniunctim, quam in statu fit naturali, versus quan-
dam partem moveri debeat (§. III.), sequitur, ut, si
quod fluidum iusto maiori vel massa, vel celeritate
seorsim, vel maiori celeritate & massa simul, versus
partem quandam corporis humani solidam movetur,
congestio versus hanc partem fiat. Nam congestio
nihil aliud est, quam impetus fluidi versus partem
quandam corporis humani solidam praeternaturali-
ter auctus (§. I.). Nunc non potest non corporis
moti, si eiusdem vel massa, vel celeritas seorsim, vel
massa & celeritas simul augmentur, impetus augeri,
uti id ex principiis constat physicis. Qua de re, si
quod fluidum maiori vel massa, vel celeritate sola,
vel maiori massa & celeritate simul, quam in statu
fit naturali, versus partem quandam corporis hu-
mani solidam movetur, non potest non versus ean-
dem partem fieri congestio.

§. V.

Determina-

Demonstrarunt Physici, impetum corporum
moto-

motorum esse in ratione composita ex simplici massarum & duplicata celeritatum. Ex hoc principio prona fuit consequentia, quod celeritas corporis unius eiusdemque moti, ad certum gradum aucta, maiorem eidem corpori impertiat impetum, quam si sola eiusdem massa in eadem, qua celeritas, cresceret ratione. Fac igitur, celeritatem fluidi, versus partem quandam corporis humani solidam moti, manente eiusdem massa eadem, multum & speciatim adeo crescere, ut impetus exinde emergens fiat praeternaturaliter auctus; fac porro, idem fluidum versus eandem partem motum ratione massae in eadem, qua in priori casu eius crevit celeritas, augeri, ita ut exinde item iusto maior producat impetus, tunc in priori casu impetus huius fluidi praeternaturaliter auctus, adeoque congestio (§. I.), longe vehementior erit, quam in posteriori casu.

§. VI.

Fluida corporis humani a vi cordis & arteriarum premuntur. Iam autem fluida, quae premuntur, secundum legem physicam tendunt quaque versus aequaliter, & maiori versus eum moventur locum, ubi minorem inveniunt resistantiam. Quae de re etiam corporis humani fluida conatum exercent aequalem versus omnes plagas, & eo feruntur impetu maiori, ubi minor eorum conatui occurrit resistantia. Fac igitur, in parte quadam corporis humani solida, seu potius in vasis eius, resistantiam fuisse iusto magis imminutam, tunc necessario fluida versus istam partem solidam, cuius vasa minorem

*tur quantitas congestio-
num.*

Si qua in parte resistantia iusto magis imminuitur, fit ad eam congestio.

ea, quam in statu naturali habuerunt, resistantiam acquisiverunt, praeternaturaliter aucto feruntur impetu, adeoque non potest non versus eandem partem fieri congestio (§. I.).

§. VII.

Si in pluribus partibus resistantia fuerit imminuta, fit versus has omnes congestio, sed diverso gradu.

Cum congestio fiat versus partem corporis humani solidam, cuius resistantia ultra statum naturalem fuit imminuta (§. VI.), sequitur, ut, si resistantia in pluribus corporis humani partibus, seu potius earum vasis, diverso gradu fuerit imminuta, congestio versus omnes istas fiat partes, sed diverso gradu, ita, ut versus illam fiat minima, cuius resistantia minimum possidet gradum, & versus istam maior, cuius resistantia magis imminuta, & denique versus eam maxima, quae plurimum de sua amisit resistantia.

§. VIII.

Obstructione in quadam parte facta, fit congestio versus eandem partem obstructam.

Impetus, quem fluida corporis humani in motu constituta a cordis & arteriarum systole obtinuerunt, in tres potest dividi partes, quarum prima *fluidum anterius positum propellit*, altera ea est, qua *ipsum fluidum se movet in vasis*, & tertia denique ea est, qua *fluidum tanquam pressum agit in vasis parietes*. Nunquam ergo fluida corporis humani, quousque in vasis moventur, eo gradu sunt fluida pressa, quo cor & arteriae in ipsa agunt, sed ratione partis tantum unius huius actionis sunt fluida pressa, unde nec omnia suo, quem a pressione cordis & arteriarum acceperunt, impetu in vasorum parietes agere possunt, sed pars huius fluidorum impetus

tus una impenditur ad reliquorum fluidorum anteriorum propulsionem, altera vero manet libera & hac se se ipsa movent fluida, & tertia tantum pars huius impetus fluidorum non quidem ratione quantitatis, sed tantum ratione ordinis impenditur ad actionem in vasorum parietes. Sit igitur vas quoddam arteriosum obstructum, & impetus cordis & arteriarum maneat in statu naturali, tunc manebit quoque ob hanc ultimam conditionem impetus talis & tantus, qualis & quantus paulo ante fuit descriptus. Sed quoniam fluida, quae in vasis arteriosis liberis nec obstructis moventur, uti iam demonstratum fuit, non toto suo impetu, quem a cordis & arteriarum systole acceperunt, in parietes vasorum arteriosorum agunt, sed parte tantum huius impetus una, cum reliquarum duarum huius impetus partium unam iam impenderint ad fluidum anterieus propellendum, alteram vero adhibuerint ad se se ipsa movenda, sequitur, ut obstructione in vasis arteriosis facta, omnes hae tres partes impetus, quem fluida a cordis & arteriarum systole obtinuerunt, nunc impendantur ad actionem in vasorum arteriosorum obstructorum parietes. Obstructione enim facta in vase arterioso, fluidum illud transire nequit. Cum vero perpetuo a cordis & arteriarum systole prematur, & novum fluidum continuo in id propellatur, non potest non fluidum, quod per vasa obstructa arteriosa transire nequit, magis premi, & per consequens maiori impetu in parietes vasorum obstructorum agere; &, si perfecta seu totalis est obstru-

obstructio, impetus, quo fluidum in parietes vasorum obstructorum agit, toti impetui, quem fluidum a cordis & arteriarum systole obtinet, est aequalis, adeoque praeternaturaliter auctus.

§. IX.

Demonstratio praecedentis propositionis absoluitur.

In statu naturali, teste experientia, ope microscopiorum facta, vasa arteriosa extrema nec actu sese contrahunt, quamquam perpetuum sese coarctandi exerceant conatum, & minorem cavitatem, experientia confirmante, acquirere possint, nec magis dilatantur, quamquam insigniter adhuc dilatari possint; vasa autem arteriosa maiora, quamvis semper alternatim sese contrahant & dilatentur, nunquam tamen in statu naturali ad eum sese contrahunt vel dilatantur gradum, ad quem dilatari & sese contrahere possent. Patet ergo, in statu naturali necessario in vasis arteriosis extremis quovis tempore, & in vasis arteriosis maioribus in fine systoles, verum quoddam aequilibrium inter fluidum, quatenus est pressum, & tonum vasorum adesse, id est, impetum fluidi naturaliter pressi in vasa, tono vasorum esse aequalem, seu, quod perinde est, in statu naturali vim fluidi vas distendentem & vim vasis contractilem esse aequalem. Cum vero impetus fluidi in vas obstructum arteriosum sit praeternaturaliter auctus (§. VIII.), & talis impetus fluidi dicatur *congestio* (§. I.), apparet, obstructione facta in vasis arteriosis versus eadem fieri debere congestionem.

§. X.

§. X.

Fac, ramos quosdam trunci cuiusdam arterio-
si esse obstructos, reliquos vero adhuc esse pervios
atque apertos; tunc non potest non fieri versus ra-
mos arteriosos obstructos congestio (§. VIII. & IX.).
Quoniam vero omnis ea fluidi quantitas, quae antea
per omnes istos ramos, quorum quidam nunc ob-
structi supponuntur, transiit & propulsa fuit, nunc
per obstructos ramos transire nequit, sed per reli-
quos tantum adhuc apertos transitum obtinet ac
propellitur, non potest non iusto maiori celeritate
per ramos reliquos adhuc pervios moveri. Nunc
autem, si fluidum iusto maiori versus partem quan-
dam fertur celeritate, fit versus eandem partem
congestio (§. IV.). Quam ob rem, obstructione fa-
cta in quibusdam ramis trunci cuiusdam arteriosi,
non fit solum congestio versus ramos obstructos,
sed etiam versus reliquos adhuc pervios & aper-
tos.

*Sed versus
reliqua ad-
huc aperta
fit congestio
trunci cuius-
dam arte-
riosis.*

§. XI.

In antecedentibus fuit demonstratum, quod
resistentia partis solidae, seu potius vasorum, iusto
magis imminuta, producat versus eandem partem
congestionem (§. VI. & VII.). Nunc pars, seu vasa
eius, si debilia fiunt, seu tono suo privantur, amit-
tunt suam resistentiam naturalem; & debilitas seu
atoniam partis, vel potius eius vasorum, nil aliud est,
quam resistentia eorum ultra statum naturalem im-
minuta. Qua de re debilitas seu atonia partis soli-
dae,

*Debilitas
seu atonia
partis soli-
dae producit
congestio-
nem.*

dae, vel potius eius vasorum, non potest non versus eadem illa producere congestionem.

§. XII.

Debilitas partis tam naturalis, quam acquisita, potest producere congestionem.

Debilitas partis solidae corporis humani oritur a natura ut causa, vel non. Priorem nomino *debilitatem naturalem*, posteriorem *acquisitam*. Utraque igitur, tam naturalis, quam acquisita debilitas partis, producit versus eandem congestionem (§. XI.).

§. XIII.

Congestio fit ad hanc vel illam partem, prout haec vel illa est debilis.

Cum debilitas partis solidae corporis humani producat versus eandem congestionem (§. XI.), sequitur, ut congestio fiat ad hanc vel illam partem, prout haec vel illa est debilis. Sic si cerebrum, vel, ut accuratius loquar, vasa eius sunt debilitata, congestio fit versus caput, & si pulmones tono suo fuerunt privati, versus illos vergit congestio, & sic se habet cum aliis partibus solidis, quae tono suo sunt destitutae.

§. XIV.

Quicquid debilitatem in parte quaedam solida producit, efficit versus istam congestionem.

Debilitas producit versus eam corporis humani partem, in qua occurrit, congestionem (§. XI.). Qua de re, quicquid huic vel illi parti corporis humani solidae inducit debilitatem, efficit quoque versus eandem congestionem.

§. XV.

§. XV.

Causarum quidem, quae debilitatem in partibus solidis producere possunt, datur numerus infinitus, omnes tamen, quotquot & quam diversae sunt, possunt ad unam eandemque classem redigi. Omnes enim causae, quae partibus solidis debilitatem inducere possunt, quam diversae etiam sint, conveniunt tamen in eo, quod cohaesionem partium fibras constituentium iusto magis imminuant. Id vero efficiunt, nimia fibrarum extensio, earum arrosio, nimius glutinis inter partes fibrarum defectus, vel nimia eiusdem copia, & omnia, quae unum horum effectuum, vel plures, producere possunt. Sic plethora, rarefactio sanguinis nimia, motus corporis iusto vel vehementior, vel saepius repetitus, spirituosorum abusus, animi pathemata, & aliae causae, partes solidas possunt debilitare. Sed omnes istae causae, simul ac debilitatem produxerunt, efficiunt quoque versus illam partem, quae ita est debilis reddita, congestionem (§. XIV.). Prout igitur hae causae in hac vel illa parte suam exferunt efficaciam, pro eo etiam ad hanc vel illam partem dirigitur congestio. Sic si cerebrum, vel potius eius vasa fuerint debilitata, a nimis meditationibus, animi affectibus, inordinata vivendi ratione, spirituosorum, aut anodynorum vel vaporosorum abusu, aliisque causis, fiunt sanguinis versus caput congestiones. Et si pulmonibus ab illegitimo sex rerum non-naturalium usu, vel nimium relaxantibus & dulcibus expectorantibus remediis,

De causis debilitatis.

debilitas fuerit inducta, ad eas dirigitur congestio.

§. XVI.

*Quidquid obstructio-
nem produ-
cit in vasis
arteriosis,
efficit conge-
stionem.*

Obstructio producit non versus ramos arterio-
fos obstructos solum, sed versus reliquos etiam ad-
huc pervios atque apertos, congestionem (§. VIII.
IX. & X.). Omne igitur id, quod obstructionem
in vasis arteriosis efficit, non potest non versus ra-
mos tam obstructos, quam adhuc apertos, conge-
stionem producere. Causae igitur obstructionis
in vasis arteriosis sunt etiam causae congestionis.

§. XVII.

*Si sanguis
per vasa cor-
poris externa
legitime
transire ne-
quit, fit ver-
sus internas
partes con-
gestio.*

Si sanguis in vasa arteriosa, superficiem cor-
poris humani externam perreptantia, non debito
modo ingredi atque per ea transire potest, necessa-
rio iusto maiori vel celeritate, vel massa, vel ma-
iori massa & celeritate simul, ad & per partium in-
ternarum vasa arteriosa moveri debet. Nam, si
fluidum versus quandam corporis humani solidam
partem maiori vel massa, vel celeritate, vel maio-
ri massa & celeritate simul fertur, fit versus ean-
dem partem congestio (§. IV.); hinc, si sanguis
per vasa, in externa corporis humani superficie po-
sita, legitime progredi nequit, ut versus internas
eiusdem partes fiat congestio, necesse est.

§. XVIII.

Si fit sangui-

Si sanguis per vasa superficiei corporis hu-
mani

mani externae debito modo transire nequit, fit ad internas partes eiusdem congestio (§. XVII.). Fac igitur, partes internas quasdam esse debiles, alias magis, alias minus, tunc sanguinis, si eius non decens fit per externa superficiei vasa circuitus, ad partes internas fiet congestio, & quidem versus partes tono deiectas maior, quam versus minus debilitatas (§. XI. & XIII.).

§. XIX.

Si sanguis per vasa partium corporis humani inferiorum libere transire nequit, non potest non maiori vel massa, vel celeritate, vel maiori massa & celeritate simul, versus partes superiores, adeoque & versus caput & pulmones, deferri. Nunc hoc contingente fit congestio (§. IV.), adeoque exinde adparet, quod sanguinis fiat versus partes superiores, & hinc etiam versus caput ac pulmones, congestio, si per vasa partium inferiorum debito modo progredi nequit.

§. XX.

Spasmodica vasorum, per superficiem corporis humani externam excurrentium, contractio impedit, quo minus sanguis debito per ea ferri possit cursu; atque idem contingere in vasis partium inferiorum, si spasma corripuntur, nullum est dubium. Verum enim vero demonstratum iam fuit, sanguinis fieri versus interiora & versus superiora

*versus interiora
& superiora.*

riora congestionem, circulatione eiusdem per externarum & inferiorum partium vasa impedita (§. XVII. XVIII. & XIX.). Quam ob rem spasmodica vasorum, per superficiem corporis humani externam & partes inferiores excurrentium, constrictionio, non potest non in priori casu congestionem versus interiora, & in posteriori versus superiora, adeoque versus pulmones & caput, producere.

§. XXI.

Frigus superficiei corporis externae admissum & terror efficiunt versus internas partes congestionem.

Cum *frigus* superficiei corporis humani externae admissum, & *terror* constrictionem vasorum, per partes exteriores transeuntium, efficiant, non possunt non congestionem sanguinis versus partes corporis humani interiores producere (§. XX.); & si frigori inferiores tantum corporis humani partes fuerint expositae, eodem modo liquet, tunc sanguinis fieri versus superiora, adeoque versus caput & pulmones, congestionem.

§. XXII.

Spasmodica vasorum in visceribus abdominalibus strictura efficit congestionem versus superiora.

Eadem, qua §. XIX. & XX. demonstratum fuit, ratione, facile evinci potest, quod spasmodica vasorum in visceribus abdominalibus constrictionio, sanguinis versus superiora, adeoque & caput & pulmones, producere possit congestionem.

§. XXIII.

§. XXIII.

Si *obstructio* adest in uno vel pluribus visceribus abdominalibus, eodem, quo §. XIX. & XX. demonstratum fuit, modo facile probatur & confirmatur, sanguinis tunc fieri debere congestionem versus superiora, adeoque versus pectus & caput.

Obstructio visceris abdominalis producit congestionem versus superiora.

§. XXIV.

Flatus, intestina distendentes, impediunt sanguinis per viscera abdominalia circuitum, hinc eos aequae, ac obstructions viscerum abdominalium, congestionem versus superiora, adeoque & versus pectus & caput producere, ex antecedentibus factis superque adparet (§. XIX. & XXIII.).

Flatus efficiunt congestionem versus superiora.

§. XXV.

Si *haemorrhoides* antea fluentes fuerunt *suppressae*, tunc ea sanguinis quantitas, quae alias fuit excreta, nullum alium invenit exitum, sed in vasis haemorrhoidalibus stagnat atque distensionem & obstructionem efficit: Talis vero obstructio per se iam producit congestionem sanguinis versus superiora, adeoque versus pectus & caput (§. XXIII.), & praeterea accedit adhuc alia causa, quae eundem inducit effectum. Dum enim illa sanguinis quantitas, quae alias per haemorrhoides fluentes e corpore exiit, praesente earum suppressione in corpore remanet, neque per vasa obstructa progredi potest, tunc omnino maiori vel celeritate, vel

Haemorrhoides suppressae produciunt congestionem versus superiora.

vel massa ad superiora deferri debet. Hoc vero si contingit, oritur congestio sanguinis versus superiora, adeoque versus pectus & caput (§. IV.). Manifesto igitur exinde patet, haemorrhoides fluentes suppressas necessario producere debere sanguinis congestionem versus superiora corporis humani, adeoque versus pectus & caput.

§. XXVI.

Haemorrhoides coecae etiam producunt congestiones versus superiora.

Ex iisdem, quae §. XXV. demonstrata sunt, prona fuit consequentia, quod *haemorrhoides* etiam *coecae* congestionem sanguinis versus superiora, adeoque & pectus & caput, producere possint. Nam etiamsi haemorrhoides coecae nunquam, quatenus coecae sunt, ad fluxum perveniunt, nihilo tamen minus semper supponunt obstructionem in vasis haemorrhoidalibus, adeoque hoc respectu producere possunt congestionem versus superiora, atque per consequens ad pectus & caput (§. XXV.).

§. XXVII.

Dolores abdominalis possunt producere congestionem versus superiora.

Spasmodicas vasorum in visceribus abdominalibus constrictiones producere congestionem versus superiora, ex §. XXII. satis luculenter iam constat. Atqui *dolores* in abdomine saevientes efficiunt eiusmodi spasmodicas vasorum in visceribus abdominalibus constrictiones (per princ. pathol.). Quam ob rem dolores abdominalis etiam congestionem versus superiora producere possunt.

§. XXVIII.

§. XXVIII.

*Alvus adstri-
cta congestio-
nem versus
superiora
potest efficere.*

§. XXIX.

*Congestio
producit vel
extensionem
vasorum, vel
accumula-
tionem fluidi
in vasis.*

§. XXX.

Congestio
potest efficere
tumores.

humani solida, ad quam dirigitur, tumorem efficere posse, sufficienter adparet (§. XXIX.).

§. XXXI.

*Congestio
vasa debili-
tare potest.*

Vasa, si ultra gradum naturalem vel nimis vehementer, vel nimis diu extenduntur, debilitantur tandem & tonum suum amittunt. Verum congestio efficere potest in parte, ad quam est directa, ut fluidum, ad eiusdem vasa congestionis ope delatum, in iis accumuletur eaque iusto magis & diutius distendat (§. XXIX.). Satis ergo manifesto exinde patet, quod congestio speciatim quoque illius partis, versus quam vergit, vasa debilitare possit.

§. XXXII.

*Congestio ex-
travasatio-
nes fluido-
rum & hae-
morrhagias
producere
potest.*

Congestio vasa partis, ad quam est directa, ita dilatare potest, ut vel plane disrumpantur, vel per eorundem poros dilatatos, vel orificia ampliata humor transire possit (§. XXIX.). Quodcunque autem horum fiat, semper tamen oritur fluidi extravasatio, & si fluidum exitum inveniens est sanguis, haemorrhagia. Luculenter ergo hinc adparet, quod congestiones quoque fluidorum extravasationes & haemorrhagias producere valeant.

§. XXXIII.

*Congestio ob-
structiones
& inflam-*

Si qua fit versus partem quandam congestio, fluidum quoddam iusto maiori ad vasa eiusdem movetur impetu (§. I.). Facile igitur evenire potest,

est, ut impetus praeternaturaliter fluidum in eiusmodi impellat atque urgeat vasa, per quae illud transire nequit. Accedit ad hoc, quod congestio vasa partis, ad quam dirigitur, ita extendere & ampliare possit, ut crassiores fluidi moleculas, ad transeundum ineptas, admittant, unde non potest non oriri *obstructio*. Patet igitur, congestiones producere posse obstructions. Sed quaevis obstructio in arteriis minimis potest inducere *inflammationem*, & nulla inflammatio oriri potest, nisi antea praecesserit obstructio (per princ. pathol.). Quam ob rem congestiones etiam inflammationes producere possunt.

mationes excitare potest.

§. XXXIV.

Congestio partis, ad quam directa est, vasa ultra gradum naturalem dilatare atque extendere potest (§. XXIX.). Facile igitur tunicam vasorum nerveam & nervos circum- & adjacentes ita extendere potest, ut vel irritentur & efficiant praeternaturaliter auctam fibrarum musculosarum contractionem, vel solutionem continui minitentur. Si posterius fit, oritur dolor, si vero prius contingit, spasmodica contractio (per princ. patholog.). Clarum igitur nunc est, congestiones in parte illa, ad quam sunt directae, spasmos & dolores producere posse.

Congestiones spasmos & dolores efficere possunt.

§. XXXV.

Pertractatis iis, quae a congestionibus, ut causis, *Effectus con-*
D 2 *profi.*

*gestionum
variant, pro
partium, ad
quas dire-
ctae sunt, di-
versitate.*

proficiscuntur, effectibus, ordo nunc exigit, ut breviter horum effectuum diversitatem, pro partium, ad quas directae sunt, varietate attingam. Sed hic nobis magna sese offert dicendorum copia, de quibus pauca tantum, ob nimiam temporis angustiam, proferre licet. Fac igitur, sanguinis fieri versus caput, pulmones & viscera abdominalia congestionem, varios omnino effectus, pro varia partis conditione, ad quam directa est congestio, exinde enasci, quilibet absque ullo fere perspiciet negotio. Sic ad caput directa congestio haemorrhagiam nasarium, apoplexiam, hemiplexiam, epilepsiam, melancholiam, maniam, memoriae aliarumque animae facultatum imbecillitatem, auditus & visus difficultatem, surditatem, coecitatem, tinnitum & susurrum aurium, capitis dolores & temulentiam, vertiginem, defluxiones catarrhales circa oculos & aures, odontalgiam, otalgiam, affectus soporosos, pluraque alia gravia & perquam molesta pathemata producere valet. Qua vero ratione omnes hi a congestionibus proficiscantur effectus, & quomodo fiat, ut saltem speciales quidam, & non alii exinde eveniant morbi, id fusiolem omnino postulat tractationem, alia forsitan occasione, cum circumstantiarum ratio id iam non permittat, annuente divina gratia, adhuc exhibendam.


TANTVM.

VIRO

VIRO IUVENI
PRAECLARO ET EGREGIE DOCTO
DOMINO CANDIDATO
CAROLO FRIDERICO FROMHOLD,

OMNIGENAM PERCATVR FELICITATEM

IO. IVNCKER.

 *Vis quaeso, CANDIDATE clarissime, divinando praedixisset venerando DOMINO PARENTI, se filium geniturum, qui, paternis vestigiis insistendo, solidam illam medicinae partem, quam duodecimo huius saeculi anno de humorum secessionibus in Fridericiana nostra publice exposuit, ampliore evolutione illustraturus, & genuinum fontem, ex quo secessiones derivandae sunt, aperiendo, in eadem cathedra defensurus esset? Reliquissime omnino fecisti, qui speciminis inauguralis de congestionibus argumentum, cum paterno themate analogicum, elegisti: haec enim salutaris doctrina, vera sui indole, medentium pluribus usque adeo etiamnum incognita est, ut porro de ea exponere, minime superfluum, sed valdopere potius fructuosum reputari debeat. Qua de causa gaudeo, CANDIDATE doctissime, & eo verius gaudeo, quo certius novi, TE particularia ista naturae conamina non solum recte pervidere, sed decente etiam metodo eadem tractare posse: iterum enim iterumque in clinicis nostris exercitationibus laudabili attentione observasti, non sufficere genuino Practico, ut particulares istos conatus ad*

alias particulares easque securiores regiones derivando & revellendo manu quasi ducat, sed potissimum necessarium esse, universalem per diaphoresin viam, utpote regiam omniumque perfectissimam, ubique respicere & aperire. Caeterum ex animo TIBI gratulor honores doctores, nullus dubitans, quin solidae doctrinae fructus patriae TVAE civibus sis comprobaturus. Ad honoratissimam autem familiam quod attinet, antiquam quidem gravioris vulneris, in Academia nostra abhinc tribus lustris, & quod excurrit, perpeffi, cicatricem minime refricandam arbitror, peto autem a TE, ut plurimam ei salutem dicendo significes, me eximiam voluptatem ex eo concepisse, quod detrimentum umquam grave multum hodie reconcinnatum esset, & sic occasionem haberent, alternantem vicesque stationum humanarum tristes permutantem sapientiam divinam admirando adorare. Vale. Dab. d. XXVII. Novembris, MDCCXLIX.

Bald schimpft ein Kirchen-Feind der Priester Beicht-
geld aus,

Nimt dieses zum Behuf' verläßt des Höchsten Haus.

Da schmäht ein altes Weib auf ihren Advocaten,

Wenn sie ihr Recht verspielt, verflucht, verwünscht den
Braten,

Den sie dem Richter gab. Nun wähle Musen-Sohn,

Wilst Du ein Priester seyn? reißt Dich der Rechte Lohn?

O nein! geehrter Freund! Du hast das Loß ge-
troffen,

Ein Arkt, ein ächter Arkt, darf keine Glücke hoffen

Misch

Mischt sich bey Wollust, Geiz, die Furcht des Todes ein;
Ruft Kinder und Gemahl mit aufgehobnen Händen,
Wer kan den Schmerz, den Todt, von unsern Häuptern
wenden?

Ein Arzt! der Kasten Geld soll die Belohnung seyn.

Mit diesem Wunsche empfiehlt sich

Gottlieb Ernst Gorn,

lavor. Siles. Med. Candidat. Oppon.

Transactis studiis TIBI dat Galenus honores,
Quid faciam? laetor, nam TVA nostra salus.

Gratulor ergo TVO, Vir doctorande, labori:

Sis faustus, felix, vale faveque TVO

Amico sincero

C. W. ROTHKEPPEL,

Med. Candid. Oppon.

Praemia pro meritis, laetus dum carpis, Amice!

Gratulor ex animo, nam TVA messis adest.

*Pauca haecce Clarissimo ac Doctissimo Domino
Doctorando, Amico suo aestumatissimo,
adiicere voluit,*

IOANN. AVGVSTVS THALL,

Vienna-Austriacus, Med. Stud.

Agricola ut vigilans duram molitur aratro
Tellurem, & solem & nubes cum pectore voluit;
Dum tandem larga flavescens campus arista,
Fruges optatas sero cum foenore reddat:
Sedulus haud aliter Medicorum in arte fuisti;

Nam

Nam fructus veniunt, & nunc tva cingit Apollo
Tempora lauris. Auxilium male pectora pressa,
Sperant. Nunc valeas, spiret fortuna labori.

*Accipe, Amice suavissime, quae ex
animi sinceritate posuit*

I. H. LICHTENBERG,
Darmstädiensis, Med. Cult.

Du lehrst wie Saft und Blut sich ganz besonders sencken,
So in der kleinen Welt zuvor vertheilet sind.
Wer die Bewegung kennt, kan diese Häufung lencken,
Daß auch der ganze Lauf die alte Ordnung findt.
So soll, Hochedler Freund, das Glück den Lauf verrichten,
Daß sich bey Deiner Kunst auch alles Gute häuft.
Denn wird Dein edler Geist auch so die Sache schlichten,
Daß Dir Dein Wohlergehn nicht auf ein Uebel läuft.
Vor heute will ich nur zur Würde gratuliren;
Man soll ins künftige Dein Glück gehäufet spühren!

Hiermit suchet sich dem Herrn Doctorando
zu empfehlen

Johann August Zunker,
aus Halle,
d. N. B. B.

